



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. IV. Solvuntur Objectiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

perdendum. Si iudicaret erroneè, beatitudinem non defecturam, hic ipse error esset magnum malum, adeoque non daretur beatitudo, quæ debet excludere omne malum. Quod autem omnino non cogitaret de perpetuitate, vel mutabilitate sui statûs, est prorsus incredibile; cum enim de aliis minoribus bonis statim cogitemus, quamdiu iis frui possimus; quis capiat, Beatos non cogituros de diuturnitate boni maximi? Si autem incideret hac de re minima cogitatio, fieret creatura rationalis anxiosa &c. quia tunc dubitaret, & hoc ipsum dubium ex S. Augustino eam affligeret. Igitur debet habere certam notitiam de perpetuitate beatitudinis, quæ, ut rectè arguit Angelicus, infert, ipsam beatitudinem reverà perpetuam esse.

86. Dico 4. Etiam certitudo, seu notitia certa, de perpetuitate beatitudinis, est de essentia beatitudinis. Equidem Haunoldus dicit, communioem esse oppositam sententiam, sed non probat: & Izquierdo *disp. 21. n. 48.* plures citat pro nostra sententia, quibus ipse accedit, & recentius Ulloa. Unde, qui volunt auctoritate contra nostram sententiam agere, videntur prius debere probare valde notabilem excessum; parvus enim non curaretur, præsertim cum SS. Thomas, & Aug. nobis faveant; nam S. August. *l. 11. de civit. c. 13.* ait: Quocirca cuius jam non difficulter occurrit, utroque conjuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat, hoc est, ut bono incommutabili, quod DEUS est, sine ulla molestia perfruatur. Et in eo se in æternum esse mansurum, nec ulla dubitatione cunctetur, nec ullo errore fallatur. & lib. 12. de civit. c. 13. ait idem S. Doctor: Quomodo enim vera beatitudo est, de cuius nunquam eternitate confiditur, dum anima venturam miseriam, aut imperitissimè in veritate nescit, aut infelicissimè in beatitudine pertimescit.

87. S. Thomas 1. 2. q. 5. a. 4. in corp. de beatitudine ait: Oportet, quod desiderium hominis quietet, & omne malum excludat: & post pauca: Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quod homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum. Eadem fere verba habet 2. 2. q. 18. a. 3. nisi, quod hic præmittat, esse de ratione, hoc est, de essentia beatitudinis, ut in ea quietetur voluntas, adeoque hanc certitudinem non tantum requirit, tanquam conditionem, seu applicationem beatitudinis, sed tanquam constitutivum beatitudinis quietantis.

88. Probatur conclusio ratione à S. August. ac S. Thoma insinuata, & superius num. 51. pro amore beatifico jam adducta. Illud est de essentia beatitudinis, sine quo non plenè satiatur appetitus creaturæ rationalis ut talis: atqui sine certitudine de perpetuitate possessionis DEI non satiatur appetitus rationalis creaturæ: ergo, ma, probata est num. 51. mi. est SS. Augustini, & Thomæ, & communis experientia: ergo. Confirm. Angelus, & anima rationalis, sicut sunt entia naturaliter perpetua, ita etiam appetunt perpetuè esse beata: ergo, nisi sciant, à se æternam beatitudinem habendam, non carèbunt anxietate. Huc spectat etiam ratio num. 84. adducta, quæ immediate etiam probat hanc conclusionem.

89. Respondebis, nostras rationes quidem probare, quod sit requisita hæc certitudo, ut vi-

sio, vel amor possit beatificare, & quod sit dispositio, conditio, vel applicatio: at non probare, quod sit forma beatificans, nec partialiter: sicut unio albedinis non est forma denominans album. Contra est. Hæc certitudo non potest dici tantum applicatio; cum visio, & amor, per se jam satis applicentur, seu uniantur. Neque videtur esse dispositio; nam ista ordinariè præsupponitur ad formam, & disponit subiectum ad eam recipiendam: at hæc certitudo non præsupponitur ad visionem, vel amorem, sed potius hunc, & illam præsupponit: & visio sine illa certitudine pro priori præsupposita potest recipi in anima.

90. Paritas cum unione, etsi admittatur, non impedit, quo minus hæc certitudo sit partiale constitutivum beatitudinis in actu secundo beatificantis: sicut unio albedinis est pars formæ in actu secundo dealbantis. Resp. 2. hanc certitudinem esse formam denominantem, saltem partialiter, beatum; quia denominat per se ipsam formaliter certum, & securum de sua beatitudine æterna: quæ securitas est pars beatitudinis ex S. Augustino, & Thoma. Sicut dubium, vel certitudo de amittenda esset exclusio beatitudinis; quia asserret statum anxietatis.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

91. **O**B. 1. contra 3. conclusionem. Beatitudo formalis est ens creatum: ergo non potest exigere perpetuitatem. Confirm. 1. Non implicat, dari visionem, & eam iterum tolli: ergo potest DEUS id facere. Confirm. 2. Beatus satiaretur, si per aliquod tempus longum haberet visionem intuitivam, postea autem haberet abstractivam: ergo non debet visio intuitiva esse perpetua. Resp. dist. conseq. Beatitudo formalis non potest exigere perpetuitatem sui in individuo, conc. conf. in sua specie, neg. conseq. beatitudo enim ut talis, seu ut formaliter plenè satians creaturam rationalem, includit certitudinem metaphysicam de futura semper aliqua visione, & amore DEI, sive sit eadem in individuo, ut aliqui volunt, sive sit eadem, saltem in specie, ut alii, de quo inferius dicemus. Nec in hac exigentia est ulla absurditas; quia tantum oritur ex decreto DEI, volente creaturam plenè satiare: non autem ex natura individuum; licet enim possit creatura exigere naturaliter esse perpetua, ut Angelus, & anima rationalis, tamen, ut suppono cum communi, non potest exigere id metaphysicè, ita, ut nec de absoluta potentia possit destrui: quamvis, si talis creatura possibilis esset, argumentum minorem vim haberet.

92. Ad 1. confirm. omitt. totum. Si enim DEUS talem visionem &c. daret, & iterum tolleretur, illa non fuisset beatitudo formalis plena, & perfecta ex num. 80. sic etiam, si DEUS destrueret aliquem Angelum in coelis, ille non fuisset beatus; quia vel habuisset ignorantiam, aut errorem, vel anxietatem ex num. 85. Defacto autem DEUS nullum Beatum destruere potest; quia infallibiliter promissit, se id non facturum. Ad 2. confirm. neg. antec. quia talis à statu altissimo

tissimo rediret ad incomparabiliter inferiorem, non sine moerore: sicut, si quis ex rustico factus rex, redire deberet ad stivam; unde, ait Ulloa, disp. 5. de DEO c. 2. n. 20. talem dicturum DEO illud psal. 101. v. 11. *Elevans alligasti me.*

93. Ob. 2. contra 4. conclus. Potest aliquis satiari, & quietus, ac contentus esse regia dignitate, etsi sciat, non duraturam æternum: ergo etiam beatitudine. Confirm. 1. Modò Beatus cognosceret, DEUM fore beatum in æternum, etsi non sciret, etiam se fore beatum in æternum, haberet jam suam beatitudinem adæquatam: ergo. Confirm. 2. Visio certificans de perpetuitate non differret specie ab alia non certificante: ergo, si illa beatificaret, etiam beatificaret ista. Resp. om. antec. neg. conseq. Dignitas illa non debet excludere omnem anxietatem, timorem amittendi &c. at debet beatitudo vera. Dixi. om. antec. quia, si sermo est de plena satietate, & quiete, hanc regia dignitas in terris nequiquam affert, ut pater experientia: certè, si reges cogitant, se debere mori, multum minuitur oblectatio de regia potestate.

Ad 1. confirm. neg. antec. quia sine altera notitia non esset quietus; nam vehementissimè amans non vult ab amato separari, & si dubitaret, vel sciret, aliquando futuram separat onem, fieret anxius, & tristis. Quòd autem Beati sint conformissimi cum voluntate Divina, non sequitur, quòd non dolerent de sua separatione à DEO, quamvis se in voluntatem Divinam resignarent. Nec DEUS vellet, ut sine dolore à se avelli se paterentur. Ad 2. confirm. neg. ant. haberet enim una visio aliud objectum saltem secundarium, & mediatum. Fortè etiam responderi posset, quòd, etsi visio non esset specie diversa, possit tamen in uno casu esse beatificans, non in altero, ut in simili diximus de actu charitatis *num. 72.*

94. Ob. 3. Perpetuitas beatitudinis formalis est aliquid creatum: ergo non potest cognosci per visionem beatificam. prob. conseq. quod cognoscitur per visionem beatificam, est beatitudo objectiva: sed hæc non potest esse aliquid creatum: ergo. Resp. Aliqui concedunt conseq. & dicunt, perpetuitatem illam cognosci, non per ipsam visionem beatificam, sed per aliam cognitionem distinctam: at quia communiter dicitur, Beatos videre omnia in Verbo, & quia non libenter admitto, quòd beatitudo formalis constituitur per aliam cognitionem, quam per visionem (quod tamen admitti deberet; quia certitudo illa juxta nos est de essentia beatitudinis) hinc malo negare consequentiam.

95. Ad prob. Inprimis major meritò potest negari; quia communiter admittitur, quòd Beati in Verbo (quod vident per visionem beatificam) tanquam in speculo, plurima videant creatura. dist. tamen ma. quod cognoscitur per visionem, tanquam objectum immediatum, & directum, & in recto, est beatitudo objectiva. om. ma. quod tantum cognoscitur tanquam objectum, vel mediatum, vel indirectum, & in obliquo. neg. ma. & om. mi. neg. conseq. Potest itaque Beatus per visionem immediatè, & directè, cognoscere decretum DEI, irrevocabile de conservanda in perpetuum sua beatitudine: & sic objectum directum, & beatitudo objectiva tota, est aliquid

Divinum: objectum autem, tantum in obliquo attactum, est quid creatum. Dixi suprà. om. mi. quia, quando dicitur, quòd aliquid creatum non possit esse beatitudo objectiva, intelligitur à quibusdam beatitudo purè objectiva, quæ non simul sit formalis, sitque objectum ultimum, ratione cujus etiam ipsa visio, ejusque æternitas, appetibilis est.

96. Dices. 1. Juxta dicta deberet visio representare DEUM, non tantum ut bonum sibi, sed etiam ut bonum nobis, scilicet decernentem, & volentem, nos æternum beare: ergo etiam amor beatificus deberet illum ut talem amare: ergo non tantum amor amicitiae, sed etiam amor concupiscentiae, esset de essentia beatitudinis. Resp. neg. utramque conseq. non enim objectum sub omni ratione formali, sub qua representatur ab intellectu, debet etiam amari à voluntate, ut patet in millenis exemplis: & sic etiam in via actus fidei proponit sæpe DEUM ut bonum, non tantum in se, sed etiam ut bonum nobis: quin actus charitatis amet illum sub ea ratione formali; hoc enim spectat ad spem, non ad charitatem. Unde amatur quidem amore beatifico DEUS bonus nobis, qui talis, non autem, quæ talis: insuper amatur etiam à Beatis ut bonus ipsis, & quæ talis, sed per amorem quasi secundarium, & minus nobilem.

97. Dices. 2. Idem indivisibilis amor potest habere utramque formalitatem, scilicet amoris amicitiae, & amoris concupiscentiae: ergo. Resp. de isto hic non disputo: sed om. ant. neg. conf. & dico, si talis amor detur, eum fore beatitudinem, non ut amor concupiscentiae est, sed ut amor amicitiae est: sicut visio beatifica, representans varia objecta creata, non est beatitudo ut representatio istorum, sed ut representatio DEI beatificantis. Et quamvis beatitudo viæ satis communiter dicatur, stare in actu spei, non etiam in tali stat beatitudo patriæ; quia beatitudo viæ non est strictè dicta beatitudo, sed tantum solatium ex futuritione beatitudinis: quod solatium ex spe capitur. Dices. 3. Si non debet DEUS ut nobis bonus, & quæ talis, amari per amorem beatificum, cur debet ut talis representari? Resp. Ut amor amicitiae erga DEUM possit elici, non quomodocunque, sed sine omni anxietate, & timore; cum aliàs non foret plenè satiativus &c. consequenter nec beatificus.

98. Ob. 4. Si visio beatifica representat suam perpetuitatem, tunc est essentialiter indestruibilis: atqui nulla creatura potest esse essentialiter indestruibilis: ergo. min. supponitur. ma. prob. visio illa est essentialiter vera: ergo, si se representat perpetuam, vel talem dicit, debet essentialiter esse perpetua, adeoque indestruibilis. Resp. dist. ma. si visio representat perpetuitatem sui ipsius in individuo, vel se ipsam in individuo indestruibilem. conc. ma. si representat tantum aliquam visionem vagè, vel disjunctivè sumptam, vel aliquam aliam à se distinctam indestruibilem. subdist. ma. tunc est essentialiter indestruibilis quoad individuum. neg. ma. quoad speciem. conc. ma. & dist. mi. nulla creatura potest esse indestruibilis quoad individuum. conc. mi. quoad speciem suam. neg. min. & conseq. ad prob. conc. antec. dist. conseq. debet esse

esse perpetua quoad individuum. neg. conf. quoad speciem. conc. conf.

99. Quælibet creatura, quoad suum individuum spectata, debet esse de absoluta potentia DEI destruibilis; hoc enim juxta SS. Patres exigit debita subjectio creaturæ ad DEUM: at non debet esse destruibilis quoad speciem, hoc est, non debet esse destruibilis, ita, ut nec aliud simile individuum debeat loco prioris poni; si enim DEUS hoc semel promissit, & aliquod ex illis individuis essentialiter habet connexionem cum ea promissione, utique essentialiter exigit, ut, vel conservetur prius individuum, vel aliud simile producat.

100. Neque etiam est ullum absurdum in eo, quod aliquid creatum essentialiter exigit indestruibilitatem alicujus alterius à se distincti; nam revelatio externa, & actus fidei, de immortalitate animæ, sunt quid creatum, & essentialiter exigunt indestruibilitatem animæ. Jam in nostro casu visio beatifica non repræsentat, aut dicit, se ipsam, determinatè saltem sumptam, fore perpetuam, sed tantum indeterminatè, vel se, vel aliam consequentem. Neque hæc indeterminatio, aut vagus modus cognoscendi, repugnat visioni; nam est imperfectio tantum negativa: & sic etiam Beatus suas actiones intellectus, & voluntatis, quas eliciet, cognoscit, quin eas cognoscat determinatè in individuo; alias enim clarè cognosceret infinita.

101. Duplex autem est sententia in Philosophia de cognitionibus. Quidam volunt, quod cognitio sit qualitas distincta ab actione productiva sui (quæ qualitas etiam vocatur ab iisdem species expressa) adeoque sit indifferens, ut per plures successivè actiones conservativas existat. Et in hac sententia manebit semper eadem visio, saltem, si nil repræsentet creatum, de quo *art. seq.* non tamen repræsentabit, se in individuo semper duraturam (ne scilicet sit essentialiter indestruibilis) sed tantum, se in specie, hoc est, se, vel aliam, quam DEUS de absoluta potentia posset sibi substituere: quod, licet futurum non sit, tamen non debet à visione repræsentari, quod non sit futurum: sed potest abstrahi, propter rationem modò assignatam.

102. Alii, præsertim recentiores nostri, communius dicunt, intellectionem, utpote actum vitalem, esse identificatam cum actione productiva sui, atque esse actionem essentialiter fluentem, seu transeuntem, ita, ut singulis instantibus detur alia intellectio. In hac sententia nulla visio in individuo videt se perpetuam, sed tantum videt, aliam, & aliam similem, sibi perpetuò successuram. Et hæc explicatio Haunoldo videtur expeditior: certè est accommodatior recentiorum Philosophiæ.

103. Solum videtur difficultas esse in eo, quod etiam visio intuitiva, & cognitiones Angelorum, videantur eodem modo esse debere essentialiter fluentes, adeoque instans Angelicum non sit bene explicari per continuationem ejusdem actus, quod tamen cum S. Thoma multi asserunt. Sed responderi potest, licet actus sint essentialiter fluentes, tamen unum posse durare diutius, quam alterum; quia etiam una duratio indivisibilis potest esse longior altera; non enim videntur durationes, quæ, defacto

dantur, esse ex omnibus possibilibus minima, sed possibiles esse minores, & majores: sicut satis communiter admittitur, puncta continua realiter indivisibilia esse majora, & minora.

104. Quod si tamen hoc non videatur dicendum, vel etiam per hoc non videatur posse explicari tota mora secundi instantis Angelici, quæ longior fuerit, quam unica duratio durare poterit, potest mea pace, & ex suppositione actuum essentialiter fluentium, dici, Angelicum instans tam diu durasse, quamdiu Angelus elicit actum moraliter eundem, hoc est, similes. Si objicias, quod ex hoc sequatur, Angelos bonos tantum uno instanti fuisse in via, responderi posse videtur, quod etiam ipsi, licet non elicerint actus impossibiles, tamen elicerint aliquos primarios novos, etiam dissimiles, ut videntur insinuare Scotus, Cajetanus & alii citati. *122. de Angelis.* Si autem hoc omnino neget, non erit adeò absurdum, cum Valentia, & Grano ibidem citatis, sequelam admittere.

105. Si urgeas, hac ratione saltem beatitudinem formalem, seu visionem beatificam, cum sit semper similis, & ejusdem speciei (ut docet Suarez *tom. 1. in 3. p. disp. 26. in principio*) tantum duraturam per unum instans. Resp. eandem difficultatem premere etiam eos, qui dicunt, visionem esse qualitatem; nam juxta ipsos, manente eadem qualitate, manet idem instans. Igitur potest responderi, quod Angeli beati plurimos actus dissimiles sint elicituri per totam æternitatem. Si replices, actum tamen primarium fore semper moraliter eundem, adeoque unicum instans, ut *cit. n. 122. de Angelis* dictum de secundo instanti Angelorum. Resp. quidquid alii dixerint, nobis etiam servitutum. In hac tamen questione, quæ potissimum est de nomine, videtur dici posse, ad instans in primis requiri, ut non semper duret; aliàs erit æternum, non instantaneum: dein requiri, ut non nimis diu duret; cum moraliter non censeretur instans, quod nimis diu durat: quanto autem tempore, ut S. Thomas vocat, corporali, possit respondere instans Angelicum, vel etiam aliud, nondum satis exploratum est. Sed de hac questione nominis plura, quam satis.

ARTICULUS V.

Quenam adhuc bona secum afferat Beatitudo.

106. **P**RÆTER hucusque explicata bona, Beati insuper affluent innumeris aliis, & primò. Beati, præter DEUM, videbunt, seu cognoscent, plures res alias creatas, quas nosse rationabiliter desiderant; nam omne rationabile eorum desiderium à liberalissimo DEO impletur, neque tantum confertur cognitio illorum, sine quorum notitia forent anxii, & inquieti, vel necdum essentialiter satiati (nam, modò DEUM perpetuò à se vident, & amandum vident, jam essentialiter beati, quieti, ac satiati essent) sed etiam eorum, quorum, tanquam ad statum suum pertinentium, cognitionem rationabiliter desiderant. Et sic vident Beati non quidem infinita, sed tamen plurima;